

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historia Zaringo Badensis

Schöpflin, Johann Daniel

Carolsruhae, 1765

XLVII.

[urn:nbn:de:bsz:31-295118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-295118)

nam idem predium sibi quoadusque vitales carperet auras, concedi per eundem censum rogavit. presente & annuente Domina sua *Clementia* Ducissa. Conrado quoque de *Swarcinberg*. Ecclesiæ *Waltchilichæ* advocato. astantibus etiam & hoc attestantibus pluribus *de domo Ducis*. ex quorum numero pauca nomina subscripta sunt. *Conradus de Rinselden*. *Odalricus* & *fratruelis ejus Conradus de Aleina*. *Gotefridus de Rotwila*. *Heinricus de Scopfheim*. *Gerunc de Tittinshufen*. *Reginboto de Ofmaningen*. *Reginhardus de Valchensteina*. *Reginboto de Slatta*. *Conradus de Zaringen*.

 XLVII.

EXCERPTA EX BERTOLDI IV. DUCIS ZARING.
CONFIRMATIONE FUNDATIONIS MONASTERII
S. PETRI IN NIGRA SILVA.

 A N N O M C L I I .

Ex Schannati Vindem. liter. Collect. I. p. 162.

Notum vobis facimus, qualiter *Dux Bertholdus* hujus nominis *quartus*; *Ducis Conradi filius*, in festo Sanctorum *Marcellini & Petri*, ad hoc Monasterium a Parentibus suis in honore beati *Petri Apostoli* institutum venit devotus, eique omne Jus, quod a Progenitoribus

Cod. Dipl.

N

fuis possederat, in manum Domini Gotzmanni hujus loci Abbatis, dextera sua contulit & firmavit munificus: primum autem hujus donationis fuit exordium, nunquam aliquem inter se huic Cellæ præponere Advocatum, illudque constituit deinceps manere inviolatum. Addidit etiam idem Dux Cænobitis istius Monasterii Munus, scilicet ut quicumque ex Clientibus suis, vel etiam familia sanus sive infirmus nec non in novissima hora constitutus ad hoc Monasterium conversionis gratia vellet venire, aut de allodiis suis, sive alijs quibuscunque rebus, Christo inibi servientibus quicumque conferre, absque omni contradictione faceret, nec suam ulterius super hac re licentiam quæreret. Hæc non solum pater ipsius & patruus egerant, verum etiam avus ejus cum consilio & auxilio fratris sui Domini Gebhardi Constant: Episcopi devotissime fecerat. Præterea *Domina Clementia mater ejusdem Ducis* primitus, monitu Domini Herimanni prædictæ Constant: Ecclesiæ Præfulis in sepultura mariti sui Ducis Cunradi cum consensu filiorum suorum videlicet Rodolfi, Adilberti, Hugonis hæc eadem nobis concesserat, atque in perpetuum illibata fore firmaverat. Facta sunt autem hæc tempore Domini Papæ Eugenii sub Rege Friderico. Anno ab Incarn. Domini MCLII. IV. Non. Iunij Indiæ. XV. in choro S. Petri &c.
